

# Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 29

In nomine domini dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hludowicus divina ordinante providentia imperator augustus. Cum petitionibus sacerdotum iustis et rationabilibus divini cultus amore favemus, superna nos gratia muniri non dubitamus. Idcirco notum fieri volumus omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae ac nostris presentibus scilet et futuris, qualiter vir venerabilis Bunus abba ex monasterio Hairulfisfelt, quod est siitum in pago Hassense super fluvium Fulda in honore beatorum apostolorum Simonis et Tatheï constructum, ostendit nobis per monachos suos Heimulfo videlicet et Erluino privilegium, in quo contenebatur, qualiter antecessor suus Lullus quondam episcopus in suo proprio ipsum monasterium edificasset et domno ac genitori nostro Karolo pia recordationis sub sua tuitione ac defensionem tradidisset, et abbatem ipsi monachi de predicto monasterio sibi licentiam eligendi habuissent; et si ibi reperire non potuissent, in quocumque monasterio infra ipsa parrochia, qui sub regula sancti Benedicti repertus fuisset, licentiam habuissent sibi abbatem eligere; et episcopus seu archidiaconus in ipso monasterio nullam potestatem habuissent nisi secundum sacros canones et instituta patrum illorum ministerium peragere; et neque comes neque ulla iudiciaria potestas in villis eorum vel rebus aliquid exactari presumerent; postolantes clementia regni nostri, ut in nostra aelimosina ipsum monasterium more peterno sub nostra defensione vel tuitione reciperemus. Cuius petitioni pro mercedis nostrae augmento vel pro animae nostrae remedium seu pro reverentia ipsius sancti loci denegare noluimus, sed, sicut domnus et genitor noster ipsum monasterium sua tuitione vel defensione habuit iuxta petitionem Lulli quondam episcopi, ita et nos predicto Buno abbati concessisse atque in omnibus confirmasse cognoscite. Praecipientes iubemus, ut neque episcopus Mogonciae civitatis aliam sibi in predicto monasterio usurpet potestatem, nisi secundum quod in sacris canonibus est constitutum, scilicet predicare et ordinare vel ea, que ad suam pertinent ministerium, peragere; similiter neque archidiaconus eius, extra quod predicti sacri canones iubent, ullam sibi vindecet potestatem. Insuper neque comes neque quislibet iudiciaria potestas in villis eorum in rebus aliquid exactare presumant neque mansionaticum neque aliud ullum impedimentum predictis monachis facere temptent, sed sub nostra defensione vel tuitione securi persistent. Et quandoquidem abbas de ipso monasterio de ac luce migraverit, volumus, ut ex nostra auctoritate licentiam habeant secundum sacros canones et regulam sancti Benedicti sibi abbatem eligere de ipsa congregatione; et si ibi minime reperire potuerint, tunc sibi ipsa congregatio de quocumque monasterio infra ipsa parrochia abbatem regularem eligere voluerint, per nostram auctoritatem licenciam habeant eligendi; et quando deo volente electus fuerit, ad nostram perducant presentiam, ut ibi examinetur, si dignus sit tali ordinari officio; et si a nobis probabilis esse videtur, eorum consentiamus voluntati, ut melius illis delectet pro nobis ac coniuge proleque nostra seu stabilitate regni nostri domini misericordiam exorarie. Hanc quoque auctoritatem, ut plenior in dei nomine obtineat vigorem et a fidelibus nostris vedus cerciusque credatur, manu propria subter firmavimus et anuli nostri inpressione signari iussimus. Signum Hludowici serenissimi imperatoris. Gundulfus advicem Fridugisi recognovi Gundulfus advicem Fridugisi et subscripsi. Data VIII. id. madias, anno Christo propitio VII imperii domni Hludowici piissimi augusti, indictione XIII; actum Tectis palatio regio; in dei nomine feliciter amen.